



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Finem boni, & mali exitum, perpende.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XI. FINIS.

§. I.

Finem boni, & mali exitum, perpende.

Preceptis nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus &c. Gen. 3. 3. Mendax Eva dixit, sibi à Deo esse imperatum, ne tangerent &c. Imò licuisset tangere prius, & meditari multis; quid damni, quidque utilitatis cibis ille posset afferre. 1. Jo. 1. 1. quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectaverunt de verbo vita. S. Ambros. l. de paradiso c. 13. vides, quòd antè velut manibus quibusdam perferatus sit Dei verbum, & postea annuntiaverit. Et ideo fortè & Evæ nihil nocuisset verbum, si pertractantibus diligenter quibusdam mentis manibus tetigisset. Hinc omnis ruina, quòd sine mentis consultatione ruitur in optata. Baez. l. 1. c. 7. §. 27.

Cumq; invenisset angelus Domini eam in solitudine &c. Gen. 16. 7. Fugit è domo Abrahæ contumax Agar. At quòd evasit? Nihil dici hinc commodius ab Angelo potuit, quòd Agar ad faniolem frugem reduceretur, quam: unde venis? & quò vadis? v. 8.

Plantam pedis Esau apprehendit Jacob. Gen. 25. 25. Non caput, sed pedem; qui & patris benedictionem adeptus est. Si inter eos cupis esse quibus dicitur: *venite benedicti &c.* non caput peccatorum, & voluptatum; sed pedes, & exitus, considera. Diez conc. 2. Nat. B. V. Caput est principium, pes extremum hominis. Hæc est differentia inter bonos, & malos; quòd boni instar Jacob arripiunt peccatum per pedem, mali per caput. Stella p. 1. c. 7.

Non invenerunt, nisi calvariam, & pedes summas & manus. 4. Reg. 9. 35. Jezabel oculos, & faciem, pinxit stybiò, & cerussa, & ornavit caput suum; & respexit per fenestram, ut Jehu falleret. Si aspexeris Mundi pigmenta, ornatum, & gestus; capieris. Intuere autem infelicis Jezabelis finem, non caput; videbis eam à canibus devoratam. *Non invenerunt ex ea &c.* quia Deus vult Mundi extremitates ad tuam memoriam, & medelam, superesse; ut mortem, & omnium Mundanorum considerans finem, ejus pigmentis non capiaris. Stella p. 1. cap. 94.

Radix juniperorum erat cibus coram. Job. 30. 4. Radicem Juniperi comedunt. Sed hujus radice quàm sint asperi rami, non attendunt: quia nimirum modo prava actio quasi ex radice delectat in culpa; sed postea quasi ex ramis pungit in pœna. Sanct. Gregorius l. 20. mor. c. 15.

Vox illa in finem plurimis psalmis præfixa, alius vertit: *victori*; alius in *victoriam*. Quocirca cum omnis certaminis victoria finis sit; ad quem, qui certamen ingrediuntur, omnia sua referunt, eaque freti pugnare incipiunt: mihi planè

persuadeo, finis nomine, velut brevè quâdam commotione, excitari omnes illos, qui in hujus vitæ stadio per virtutis exercitationem decertant: ut finem respicientes, spe coronæ obtinendæ, certaminum laborem levent, & minuant. Stadium est communis hominum vita. S. Gregorius Niss. tr. 2. de inscript. psalm. c. 2.

Via peccantium complanata lapidibus; & in fine illorum inferi, & tenebra, & pœna. Eccli. 21. 11. Græcè: *in fine illorum forca inferni.* q. d. via concupiscentiæ, per quam incedunt peccatores, initiò videtur pulchra, amœna, ac si planis lapidibus esset strata; at postmodum apparet aspera, tristis, & horrida: nam finis ejus deducit, & desinit in infernum; ubi sunt tenebræ densissimæ, & pœnæ atrocissimæ. Alludit ad Prov. 14. 12. *est via, quæ quæritur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Cornelius hic.

Sordes ejus in pedibus ejus; nec recordata est finis sui. Thr. 1. 9. Hebr. *quia non est recordata finis sui.* Tropolog. S. Thomas, & Rabanus: anima peccatrix non est recordata finis, id est, mortis suæ, & extremi judicij. Cornelius hic.

Ego sum a & w Apoc. 1. 8. Vocalibus se comparat; quia ipse vocavit nos ad regnum Dei: quia verò nos per duo maxime vocat; scilicet per considerationem principij vitæ nostræ, & per memoriam finis; ideo se comparat his duabus literis, quæ sunt extremæ, & finales, Albertus M. apud Sylveira hic.

Uniuscujusque rei finem ante initium considera. S. Nilus Cap. parænet.

Peccatum est sicut falsitas in panno. Nam sicut mercator de falso panno non ostendit emptori medium, neque finem; sed tantum caput: sic diabolus, qui est mercator peccati, ostendit fatuo emptori solum caput panni, id est, delectationem culpæ, non medium, ist est, remorsum conscientiæ; vel finem, id est, pœnam gehennæ. S. Bonaventura dicit. sal. c. 2. de vitijs in speciali.

Sapientis præcipua cura est, finem respicere. Joannes Gerson tr. 8. sup. Magnif.

Diligenter considera terminum peccati; ità demum odiò habebis voluptates, & vanitates, quas Mundus tibi ob oculos ponit. Vita est flumen, quod currit ad mare mortis: fluminis aqua est quidem dulcis, ejus tamen finis est, ingredi in aquas amaras maris. Stella. p. 1. c. 6.

Nemo, quantum sitiat, præsumet bibere ex fonte, in cujus fundo serpentes videt venenosos. Ità ex fonte hujus Mundi non bibet, qui ejus fundum intuetur. Id, ib.

Philosophus quidam in foro proclamabat, se intellectū, & scientiam, venditurū emere volentibus. Quod cum princeps illius regionis intellexisset, misit ad eum auntios cum numis. Philosophus autem detexit illis schedulam, in qua hæc sententia

tia exarata: *in omnibus, qua facturus es, semper cogita, quid tibi possit accidere.* Quod responsum, licet risu exceperint nuntij, rex tamen magni aestimavit; & illa verba aureis characteribus in ostio palatii sui inscribi iussit. Cogita & tu in omni actione, quid tibi possit accidere; praesertim cum id, quod intendis facere, peccatum est: quid si in eos moriaris? quid si non confiteri possis? quid multis acciderit, perpetrato etiam unico peccato mortali? Diez fer. 5. D. Pass.

§. II.

Finis hominis, in quem creatus.

SI homo ita creatus est, ut per id, quod in eo praecellit, attingat illud, quod cuncta praecellit; id est, unum verum, optimum Deum; sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit: ipse quaeratur, ubi nobis omnia sunt secunda; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia. Sanct. Augustinus de Civ. l. 8. cap. 4.

Quis alius noster est finis? nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis. Id. ib. l. 22. c. 30.

Ideo nascimur, ut agnoscamus factorem Mundi, ac nostri Deum: ideo agnoscamus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus. Lactantius l. 7. in lit. div. de div. premio.

Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter, creationis nostrae intelligamus exordium; invenimus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset authoris. S. Leo l. 1. de jejun. decimi mensis.

Omnis actio, sermoque, Servatoris nostri Jesu Christi, pietatis, ac virtutis, norma quaedam nobis est. Nec ob aliam causam homo ad imaginem Dei altissimi factus est; quam ut aliquid gesturus, in eum tanquam archetypum, exemplarque, adspiciens; modum, viamque, virtutis imitari conaretur. S. Basilii serm. quomodo Deus orandus. Cogita, quemadmodum formatus sis homo: neque enim aliam ob causam factus es; nisi ut ad Dei gloriam celebrandam esses instrumentum accommodum. S. Greg. Niss. or. 2. in hom. procr.

Formavit Deus hominem rectum. Eccl. 7. 30. Quam ob rem? quia singularem etiam actionem erat traditurus. Reliqua animalia sunt bruta; & illa spectant, ad quae nata sunt: ad partum genita sunt pecora. Caput homini sublimis est, ut genus caeleste suscipiat. Oculi non tendunt in terram: quocirca non vim inferas naturae tuae. Terrena ne spectes; sed caelestia, ubi Christus est. Genitus es, ut Deum videas, & contempleris: non ut humi dejecta serpat vita tua; non ut pecudum voluptates consecraris; sed ut vitam caelestem agas. Id. ib.

Non propterea Deus nobis praesentem vitam praestitit; non animam in hoc corpus infudit; ut haec tantum fruamur vitam; sed ut totis viribus ad futuram contendamus. Bruta praesenti duntaxat

vita usui sunt: nos idcirco immortalem habemus animam, ut ad illius vitae preparationem omnia moliamur. Sanct. Chrysostomus hom. 30. in Joan.

Deus dedit tibi vitam, ut se coleres; tu eam incassum, & inutiliter, consumis. Quæris quod sit damnus? si vel parum argenti temere consumpseris, id omnino damnus appellas: sint totos dies in diaboli operibus contumelias, nihil amisisse opinaris. Id. hom. 57. in Joan.

Nunquid propterea in hunc Mundum venisti? numquid propterea homo factus es, ut aes, & aurum, accumules? Non ideo te ad suam Deus finxit imaginem; sed ut sibi placeat; ut futura bona consequaris; ut cum Angelis palas. Id. ib.

Ad hoc creatus es, ut Conditori tuo placeas, ut Domino tuo servias; & tu de mercedibus cogitas? -- Verè ignoras, quantum boni sit, placere Deo. Si enim scires, nunquam aliquid aliud extrinsecus mercedis, aut muneris, expeteres. Nescis? quia major tibi augetur merces, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi. Id. de compunct. cord. l. 2.

Ad hoc plasmatus est homo, ut proprium cognoscat authorem; agnoscendo diligat; atque diligendo sic vivat, ut quandoque illo fruatur, ipsi, que ineffabilis fruitione beatus existat. S. Laurentius Just. l. de cont. Mundi c. 1.

Scire debes, quod omnes sumus propter unum finem creati, scilicet ad cognoscendum, habendum, & amandum, Deum. S. Edmundus spec. Eccl. c. 12.

Hæc est merces, & hic est finis, & fructus nostri laboris, scilicet visio Dei. S. Bernardus l. 5. in assumpt. B. V.

Cor humanum ad hoc factum est, ut videat suum Creatorem. Id. l. 16.

Me totum ad tuum honorem fecisti; ut tibi perfecte in praesenti obsequar, & te in aeternum fruatur. Sanct. Bonaventura stim. amor. cap. 7.

Totus Mundus servit homini, qui factus est pro homine; ut ipse serviat ei, qui fecit Mundum, & hominem. Id. l. 1. D. 8. Pent.

Scitote, quia mercenarii sumus conducti. Sicut ergo nemo conducit operarium, ut hoc solum faciat, quod manducet; sic & nos non ideo vocati sumus à Christo, ut hæc solum operemur, quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam DEI. Author. Imperfect. hom. 34.

Gallus. Lem: *Et afficit crebro.* Epietetus in Enchir: si lusciniæ essem, lusciniæ munere fungerer; si olor, oloribus. Nunc, cum rationale animal sim, Deus mihi laudandus. Hoc meum munus est, hoc facio: neque stationem hanc deferam, quoad licuerit; vosque ad eandem cantilenam exhortor.

☩(O)☩

§. 2. Motiva